

operatio intelligentiæ est propter Deum, ut finem, etiam substantiam ordinari in eundem finem, tum quia talis substantia est propter suam operationem; tum etiam quia non attingit seu consequitur suum finem nisi per operationem; non ergo sola operatio, sed etiam ipsa substantia instituta est propter talem finem.

31. Atque hinc fit, ut non possit referri in seipsam tanquam in causam efficientem sui esse, sicut operatio ejus, quia operatio jam supponit esse a quo possit effective manare; ipsum autem esse non supponit seipsum, neque ipsam substantiam; et ideo tandem concluditur, reducendam esse illam substantiam in aliam causam efficientem. Quæ non potest esse alia nisi ipsummet primum ens, ad quod ordinatur ut in ultimum finem. Quocirca, quamvis non semper res, quæ est finis, sit etiam principium efficiens, præsertim quando finis ipse est producendus per actionem et est finis quo, seu cujus gratia, tamen sæpe finis et efficiens in eadem rem coincidunt, præsertim quando finis est cui, seu qui; sic enim omnis operans, propter seipsum aliquo modo operatur, et consequenter simul est et efficiens, et finis suæ operationis; in presenti ergo, ex eo quod Deus sit finis ultimus, inferitur optime quod sit primum principium omnium, tum quia est finis non efficiendus, sed obtinendus, imitandus, aut honorandus a suis effectibus; tum etiam quia institutio rerum in talem finem, non potest in aliam causam referri. Aut enim illa causa esset intra ordinem rerum effectarum, et sic etiam illa esset facta propter illum finem, et quærenda erit ejus causa; vel est extra illum ordinem, et sic non potest esse alia nisi ipsemet ultimus finis. Estque hoc per sese consentaneum rationi, quia Deus non est finis, cui aliqua utilitas quæritur per actionem, sed qui intendit aliis suam bonitatem communicare, et quem omnia alia aliquo modo consequi aut imitari desiderant, ut recte D. Thom., 1 p., q. 44, art. 4, et ideo non est Deus finis nisi ut prima causa operans propter communicandam bonitatem suam. Atque hoc etiam modo optime correspondet, et proportionatur finis principio; nam ordo agentium sequitur ordinem finium, et ideo supremo agenti, supremus etiam finis correspondet, et ita in presenti materia, ex eo quod omnia ordinentur in Deum seu in primum ens, ut in finem ultimum, recte sequitur ipsum esse primum principium omnium.

32. *Ex dictis omnibus conclusio.* — Ex his igitur omnibus sufficienter demonstratum est Deum esse. Quanquam enim nonnullæ fortasse rationes ex his, quæ factæ sunt, per se ac sigillatim sumptæ, non ita convincant intellectum, quin homo protervus, aut male affectus, possit evasiones invenire, nihilominus et omnes rationes sunt efficacissimæ, et præcipue simul sumptæ sufficientissime prædictam veritatem demonstrant. Quibus inferrius addemus aliquas ex his, quibus Dei unitas ostendi solet. Quod si quis etiam rationes adductas attente consideret, inveniet hæc etiam in parte locum habere, quod 1 sect. dictum est, videlicet, sicut munus probandi dari aliquod ens increatum ad metaphysicum spectat, quamvis physicus aliquo modo inchoet, vel parat viam ad talem demonstrationem, ita etiam probare illud ens improductum esse unum tantum, et esse principium reliquorum omnium, quæ sunt, atque adeo esse verum Deum, etiam esse metaphysici opus; per media enim metaphysica perficitur demonstratio. Quod quidem in posteriori modo procedendi, quem diximus esse aliquo modo a priori, est per se manifestum, cum potissima ac fere tota vis demonstrationis, nitatur in perfectione ipsius esse per essentialiam. In priori autem genere demonstrationis, cum videatur sumi ex effectibus sensibilibus, aliquid participari aut sumi videtur ex naturali philosophia, et ideo in illo etiam verum habet, quod philosophia parat viam, et adjuvat ad illum demonstrandi modum; proprium tamen medium illius demonstrationis revera est metaphysicum, nimirum, unitas finis, et mutue connexionis seu subordinationis, quæ reperitur in rebus omnibus in rerum natura existentibus. Hæc enim ratio abstractissima est, et universalissima, et ideo per se pertinet ad metaphysicam, quamvis ad applicandam illam ad res singulas, ministerio philosophiæ sæpe utatur.

*Rejicitur secunda sententia superiori sectione relata.*

33. Ultimo ex dictis omnibus quasi evidentissima quadam experientia constare potest, quam sit a veritate aliena sententia supra relata, quæ asserebat ita esse per se notum Deum esse, ut ea ratione demonstrari non posset. Constat enim ex dictis, magna consideratione et speculatione opus esse ad veritatem hanc efficaciter persuadendam; quomodo ergo existimari potest hæc veritas

per se nota. Sapienter igitur D. Thom., 1 part., q. 2, art. 1, supposita distinctione, quæ in 1 Poster. traditur, et late exponitur, de propositione per se nota, aut in se tantum, aut in se et quoad nos, affirmat, Deum esse, in se esse per se notum, quia esse per sese, et sine medio, convenit Deo, estque de primario conceptu, et ratione Dei. Negat vero esse per se notum nobis, quia neque essentialiam illius entis, prout in se est, concipimus, neque ex ipsis terminis est nobis evidens in ordine effectuum et causarum sistendum esse in aliquo ente increato, minusque per se notum est hujusmodi ens non posse esse nisi unum. Unde multi gentiles de hac veritate dubitarunt, aut etiam eam negarunt, et usque in hodiernum diem multi, non solum gentiles, sed etiam hæretici, post auditam vocem Evangelii, eadem insipientia laborant, et athei sunt, et nonnulli etiam fideles et docti negant eam veritatem esse evidentem; hæc autem in rebus nobis per se notis non contingunt. Et in hac sententia præter Hervæum, Capreol. et alios Thomistas, concordant D. Thom., in 1, d. 3; Durand., q. 3; Richar., quæst. 2.

34. Alii vero licet posteriorem illius sententiæ partem amplectantur, quod nobis satis est, negant tamen priorem, quia non admittunt distinctionem illam, nec propositionem aliquam esse per se notam in se, quæ non sit per se nota nobis, ut Scot., in 1, dist. 2, q. 2; Ocham, dist. 3, q. 2; Gabriel, q. 4; Henricus, in Sum., art. 22, q. 2. Verum tamen immerito dicti auctores laborarunt in re dialectica, de qua vix potest esse in re controversia. Nam quis dubitet esse quasdam veritates in se immediatas, quas non nisi per aliquod medium intelligere valemus? Certe quantitatem, verbi gratia, esse entitatem accidentalem, si verum est, sine ullo medio inter prædicatum et subjectum verum est, et tamen a nobis non cognoscitur, nisi per media et valde extrinseca. Cum ergo propositio per se nota et immediata idem sint, dubitari non potest, quin multa sint per se nota in se, quæ non sunt per se nota nobis. Quod si Scotus et alii dicant, se non loqui de rebus, sed de propositionibus, quæ intrinsece dicunt ordinem ad conceptus nostros, qui non possunt distingui secundum se, et quoad nos, respondebimus laborare in æquivoco, quia non tractamus de signis ipsis, sed de re significata, nec de conceptibus formalibus, sed de objectivis, et in hos optime cadit data dis-

tinctio. Nam sæpe res illæ, quæ obijciuntur conceptibus nostris, immediatam atque adeo per se notam connexionem habent, quamvis ut obijciuntur nostris conceptibus formalibus, et ab eis denominantur, non statim sit nota nobis eorum connexio. Est ergo optima illa distinctio, et ad rem præsentem convenientissime applicata, ut satis declaratum est.

35. Addiderim tamen, quamvis in rigore non sit notum nobis Deum esse tanquam omnino evidens, esse tamen veritatem hanc adeo consentaneam naturali lumini, et omnium hominum consensio, ut vix possit ab aliquo ignorari. Unde Augustinus, tract. 106 in Joan., tractans verba illa: *Manifestati nomen tuum hominibus*, inquit: *Non illud nomen tuum quo vocaris Deus, sed illud quo vocaris Pater meus. Nam quo Deus dicitur, universæ creaturæ et omnibus gentibus, antequam in Christum crederent, non omni modo esse potuit hoc nomen ignoratum.* Hæc autem notitia Dei dupliciter potest intelligi: uno modo sub aliqua ratione confusa et communi, ut sub ratione cujusdam superioris numinis, quod possit nos adjuvare aut beatos efficere, vel aliquid simile, qui conceptus licet in verum Deum conveniat, potest tamen etiam falsis diis applicari, et hoc fortasse modo dixit Cicero, lib. 4 de Nat. Deorum, *nullam esse gentem, quæ non habeat aliquam prænotionem, quod Deus sit.* Alio modo id potest intelligi de cognitione veri Dei per conceptum supremi entis, quo majus esse non potest, quodque sit principium cæterorum, et hoc modo videtur loqui August., citato loco. Unde subjungit: *Hæc est enim vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino aut penitus possit abscondi; exceptis enim paucis in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum, Deum mundi hujus fatetur auctorem.* Et eodem sensu dixerunt Tertullianus, in Apolog., cap. 17. et Cyprianus, de Idolor. vanit.: *Summa delicti est nolle eum cognoscere quem ignorare non possit; et in eodem, dixerunt alii quos supra citavi, hominibus esse naturaliter insitam cognitionem veri Dei.*

36. Hæc autem cognitio neque in omnibus provenit ex demonstratione, quia non omnes sunt capaces ejus, neque ex sola terminorum evidentia; nam licet demus nomine Dei significari ens per se necessarium, quo majus cogitari non possit, ut vult Anselm., sumpsitque ex Augustino, lib. 4 de Doctr.

Christ., c. 7, tamen non statim est evidens, an significatum illius vocis sit vera aliqua res, vel solum sit aliquid confictum, vel excogitatum a nobis. Duplici ergo ex capite oriri potuit hæc notitia: primo ex maxima proportionem, quam hæc veritas habet cum natura hominis; proposita enim hac veritate et explicatis terminis, quanquam non statim appareat omnino evidens, statim tamen apparet per se consentanea rationi, et facillime persuadetur homini non omnino prave affecto. Quia nihil apparet in ea veritate, quod repugnet, aut difficilem creditu eam reddat; et e contrario multa sunt, quæ statim inclinant ad assentiendum illi veritati; multa (inquam) non solum metaphysica vel physica, sed etiam moralia, nec solum externa, sed etiam interna. Nam si homo in seipsum reflectatur, cognoscit se non esse a se, neque sibi sufficere ad suam perfectionem, nec creaturas omnes, quas experitur, sibi satisfacere; imo agnoscit in se naturam excellentiorem illis, quanquam in suo gradu imperfectam, quia tam in cognoscendo verum, quam in amando bonum, sese cognoscit imbecillum et infirmam. Unde facillimo negotio homo sibi persuadet indigere se superiori natura, a qua ducat originem, et a qua regatur et gubernetur.

37. Secundo fundata est hæc generalis notitia in majorum traditione, et institutione tam filiorum a parentibus, quam imperitorum a doctioribus. Ex quo etiam generalis sensus apud omnes gentes percrebuit, et recepta est, quod Deus sit; unde hæc notitia majori ex parte videtur fuisse per humanam fidem præsertim apud vulgus, potius quam per evidentiam rei; videtur tamen fuisse cum quadam evidentiâ practica et morali, quæ sufficere poterat ad obligandum tum ad assentiendum huic veritati, quod Deus sit, tum etiam ad colendum ipsum. Et juxta hæc facile intelliguntur omnia, quæ de cognitione Dei, naturaliter insita, a Doctoribus dicuntur.

## DISPUTATIO XXX.

DE PRIMO ENTE, QUATENUS RATIONE NATURALI COGNOSCI POTEST, QUID ET QUALE SIT.

Hactenus præcipue ostendimus Deum esse, et ex parte declarare cœpimus, quid sit; nam, ut diximus, hæc duo in cognitione Dei non possunt omnino sejungi; nunc superest, ut reliqua tradamus, quæ directe spectant ad

cognoscendum, quid sit Deus, simulque declaremus qualis ac quantus sit; nam in Deo non est aliud qualitas, vel magnitudo, quam essentia. Supponimus autem non posse nos naturali lumine hæc de Deo cognoscere prout in se sunt, quia id fieri non potest, nisi per visionem claram ipsius, quæ non est homini naturalis, ut infra etiam ostendemus. Neque etiam possunt hæc omnia simpliciter a nobis demonstrari a priori de Deo, quia solum per effectus devenire possumus in cognitionem ejus; cognito tamen uno attributo Dei ex effectibus ejus, interdum possumus ex illo colligere aliud a priori, juxta modum nostrum concipiendi divina, divisim, et ex uno conceptu alium eliciendo, ut superiori disputatione tetigimus, et hi duo modi demonstrandi observandi sunt, et ad singula divina attributa, quoad fieri possit, applicandi. Primum igitur quasi fundamentum et principium omnium, quæ attribuuntur Deo, est, esse ens per se necessarium, et suum esse per essentiam, quod demonstratum est disputatione præcedenti; ipsum ergo esse Dei est quidditas ejus; quid vero in hoc esse includatur, quidve ex ipso esse per essentiam inferatur, videndum nunc est.

## SECTIO I.

*Utrum de essentia Dei sit esse ens omnino perfectum.*

1. Respondeo, de quidditate Dei est, ut sit ens undequaque perfectum. Potestque hoc naturali lumine evidenter demonstrari. Ut hæc probemus, supponendum est, perfectum id dici cui nihil deest, ex 5 Metaph. Quod potest vel privative vel negative intelligi. Priori modo dicitur perfectum, cui nihil deest, quod ei debitum sit natura sua ad suam integritatem seu complementum, et hoc modo multa sunt entia perfecta in suis speciebus vel generibus, non tamen sunt perfecta simpliciter in tota latitudine entis. Posteriori ergo modo dicitur perfectum, cui absolute nihil perfectionis deest; atque hoc modo illud ens dicitur absolute perfectum, cui omnis perfectio ita debita est, ac necessario inest, ut nulla ei omnino deesse possit, nec privative nec negative, et utroque sensu dicitur esse de essentia Dei, esse simpliciter perfectum.

2. *Nulla perfectionis privatio in Deum cadere potest. — Imo nec ulla negatio. — Et imprimis, quod non possit Deus privative*

carere aliqua perfectione, est per se evidentissimum, quia sicut Deus ex se est, ita ex se habet totam perfectionem sibi debitam. A quo enim superiori illam haberet, cum ipse sit supremum ens? Habet ergo illam independentem ab omni alio; ergo a nullo alio privari potest tota perfectione sibi debita. Nec vero ipse potest seipsum illa privare, tum quia omnis res naturaliter appetit et retinet perfectionem sibi debitam, nisi ab alio potentiori illa privetur; tum maxime quia Deus non habet hujusmodi perfectionem a se effective, sed formaliter seu negative, quia scilicet non habet ab alio, sed ex formali eminentia suæ naturæ. Atque hinc maxime confirmatur hæc pars ex actualitate ac simplicitate divini esse; nam res simplicissima non potest aliqua perfectione privari, nisi destruat tota; esse autem Dei destrui non potest, cum sit simpliciter necessarium; ergo nec minui, cum sit simplicissimum, et actualissimum; ergo non potest non simul habere totam perfectionem suæ naturæ debitam. Et in hoc saltem sensu attingit hanc veritatem, et rationem ejus Aristot., lib. 12 Metaph., c. 7.

3. Quod autem omnis perfectio huic divino esse debita sit, atque adeo, quod non possit Deus omnino carere etiam negative aliqua perfectione, probatur primo, quia hoc indicat divina Scriptura, cum dicit, *quæ facta sunt, in eo vitam esse*, Joan. 1, et cum ipsum appellat, *Omne bonum*, Exod. 33; sic etiam de Deo docent sancti Patres, Dion., cap. 5 de Divin. nomin., et Iren., lib. 4, cap. 37, cum aiunt, *Deum continere omnia*, vel, *esse omnia*, ut loquitur Clemens Alexand., lib. 1 Pedag., c. 9. Sic denique (quod ad nos nunc spectat) senserunt philosophi, ut de Herm. seu Mercurio Trismegist., refert Cyril., lib. 1 contra Jul., sub fin., et Suidas in Mercurio, et Æsculap., ad Amnionem regem, qui sic ait: *Deum omnium Dominum, factorem, Patrem ac septem imploro, ac omnia unum existentia, et unum omnia existentem; nam omnium plenitudo unum est, et in uno*. Multaque similia leguntur ex Trismegist. in Pimand., præsertim in fine cap. 5. et 15, ubi habentur fere omnia verba, quæ Cyrillus refert. Ubi ex Platone etiam et Porphyro adducit non dissimilia.

4. Secundo probatur a posteriori ex dictis supra de effectibus Dei seu primi entis. Omnis enim perfectio possibilis aut est increata aut creata. Si increata sit, in solo primo ente esse potest, quia nihil est increatum

extra ipsum. Si vero est creata, ergo necessario esse debet ab hoc primo ente, ut a prima et principali causa, quia ostensum est, nihil esse posse præter ipsum, nisi ab ipso; ergo necesse est, ut omnis talis perfectio sit in ipso, nobiliori et excellentiori modo. Quia perfectio effectus necessario supponitur in causa, quæ ex se et propria et sufficiente virtute potest talem perfectionem communicare effectui. Quo modo enim dare posset causa, quod nullo modo in se haberet? Atque hæc ratio eadem proportionem concludit de quacumque perfectione possibili vera ac reali, sive illa actu reperiatur in aliqua creatura, sive non; nam si possibilis est, non nisi a Deo esse potest; ergo necesse est ut jam nunc sit aliquo modo in Deo, quia nihil potest esse ab ipso, nisi quod aliquo modo est in ipso; est ergo de essentia Dei, ut in se includat aliquo modo omnem perfectionem entis.

5. *Ratio a priori conclusionis.* — Secundo potest hoc a priori ostendi, quia Deus est primum ens, ut ostensum est; ergo est etiam summum et perfectissimum essentialiter; ergo de essentia ejus est, ut includat aliquo modo omnem perfectionem possibilem in tota latitudine entis. Prima consequentia ex terminis fere per se nota est; nam si Deus est primum ens causalitate et necessitate essendi, necesse est ut sit etiam perfectione primum. Quod etiam probatum ex superioribus est ex eo quod omnia inferiora entia eo sunt magis vel minus perfecta, quo magis vel minus accedunt ad hoc primum ens; neque potest in hac rerum inæqualitate ita procedi in infinitum, quin detur aliquod supremum ens, quod sit cæterorum caput et mensura, quod non potest esse aliud, nisi ipsum ens primum. Est ergo illud summe perfectum. Secunda vero consequentia, in principio facta, videri potest minus evidens, quia recte potest intelligi, quod sit perfectissimum omnium, et non contineat perfectiones omnium, sicut homo est perfectissimus omnium animalium, et tamen non continet omnium animalium perfectiones. Sed nihilominus consequentia illa probatur. Primo ex præcedente ratiocinatione, quia primum ens non utcumque est perfectius cæteris, sed tanquam primum principium eorum; ut autem res aliqua sit principium alterius, non satis est, quod sit perfectior illa, ut per se constat, sed necesse est ut perfectionem illius in se contineat aliquo mo-